Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1947
Quelle:
Copyright:

nam a. 1461. advexit. Translatum inde *Narniam* Pontifex maxima pompa *Romae* ſequenti anno intulit. Leguntur haec fuſe in *Joh. Gobellini* Vicarii non *Bononienſ.* ſed *Bonnenſ.* et *Pio* II. a Secretis *Commentariis Rer. memorab.* hujus Pontificis. L. VIII. edit. *Rom.* p. 352. 1584. 4. Leguntur in *Georg. Phranzae Chronico* L. III. c. 26. in *Vita Pii* apud *Platinam* et *Ciaconium* in *Addit. Andreae Victorelli*, in *Annalib. eccl. Odor. Raynaldi* T. XIX. 1461. *n.* 43. et 1462. *n.* 1. et nunc mirare, quaſi *Voltarium* audias, *Bailletum* in Vitis SS. T. III. *On ne dit point, d'ou l'on fit venir cette importante Relique, et l'on ne produit pas de titre capable de la rendre authentique.* Lapſus etiam eſt in eo, quod memoriam hujus Translationis 7. *April.* adfigeret, citato licet *Bollando*, qui illam T. II. *Apr.* e *mſ. Florario SS.* ad 12. diem refert. Fuderit *Bailletus* oraculum ſuum inſpecto ſolo *Martyrologio Rom. Baronii*, qui ad 9. *Maji* obiter tantum memorat, ſe Rei geſtae Hiſtoriam *mſ.* legiſſe.

DCCCV.

U. 608 —12 Codicum Pentas chartacea Sec. XV. f. continet ejusdem *Thomae de Haſelbach Sermones* tam *de Tempore* per circulum anni, quam *de Feſtis SS.* et *in Epiſtolas*, ut plurimum, ut ipſe ait, *in uſum mihi credito populo in Berchtolczdorf.* Semel notatur annus 1427. Codice *penult.* qui ſcriptus dicitur a. 1457. in eſt etiam *Collatio Jacobi Ep. Laudenſis in condemnacione Johannis Huſs de Praga*, jam ſaepe relata.

DCCCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 203
Folior. 403. 4. currente calamo perſcriptus, rubro diſtinctus, quondam *M. Jodoci Weyler de Hailbrunna* Theol. Prof. ad D. *Stephanum* Canonici, et ter Academico Rectoratu intra annos 1433 —47. geſto a. 1457. defuncti, atque ab ipſo, ut praefertur, legatus *ad librariam domus collegij ducalis Wienne apud fratres predicatores*, labores Viri hujus pro utraque cathedra complectitur. Primo videlicet *Sermones ſacros* habitos ad Coetum Academicum partim *apud FF. Praedicatores*, partim et praecipue *in Die Coenae in Monaſterio B. V. alias Scotorum* intra annos 1429 — 51. Horum primus eſt *in Annunciacione Marie Virginis* in illud: *Exortum eſt in tenebris lumen rectis* &c. *Pſ.* 111. et incipit: *Venerabiles et egregij — Annunciacionem virginis, aduentum ſeu Incarnacionem domini et ſaluatoris noſtri* &c. A *fol.* 136. Adlocutiones diverſi argumenti Quaeſtionibus theologicis et philoſophicis mixtae auſpicantur. Prima occurrit *Collatio habita Wienne coram gubernatore regni Vngarie* (Joh. Hunniade) *et d. Cardinali Archiepiſcopo Strigonien.* (Dionyſio Zéchio) *et domino* (Udalrico Com.) *de cilia, et ceteris epiſcopis et prelatis de regno vngarie et comitibus plu-*